



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. VII. De Virtute Ivstitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

150 DE VIRT. IUSTIT.

maino reprehensione dignum habes, prouocasti. Da nobis, oramus supplices, circumspectā & cautam conuersationē, vt peccata vitemus, & in omnibus, quæ aggressi fuerimus, bonum tui odorem spargamus. Amen.

De Virtute Iustitia.

C A P V T V I I.

IUSTITIA, præstantissima virtus, quæ homines à mutuis iniurijs auertit, ciuitates erigit & custodit, regna florere & eminere facit, & vniuersum orbē in pace constituit, nō vna tantū virtus est, specie atoma (vt more scholarū loquamur) sed in multas ac varias species, ac quasi partes distributa. Cū enim iustitia vnicuiq; debitū reddat, secundum diuersitates debitorum, quæ pēdimus, & difficultates exoluendi, diuersas iustitias aut vnius iustitiæ partes assignare compellimur. Certē quidē iustitiæ quatuor sunt species: nēpè legalis, æquitas, distributiua, & cōmutatiua. Iustitia legalis est, quæ respicit iustum & æquū reipub. aut bono commu-

cōmuni cōdicibile, quæ tã in principi-
 bus & Prælatiſ, prout iuſta decer-
 nūt, & gubernationi ſe applicāt, quã
 in ſubditis, prout ſe iuſto propter cō-
 mune bonum accōmodant. Aequitas
 ſiue epieikeia eſt, quę perficit iuſtitia
 legalē, quatenus in abſentia legisla-
 torū & Prælatorū interpretatur leges
 in extraordinarijs enētibus, nō ſecū-
 dū verba legum, ſed ſecundū mentem
 legislatoris. Iuſtitia diſtributiua eſt,
 qua diſtribuūtur bona cōmunia inter
 perſonas rei pub. aut cōmunitatis,
 ſeruata proportione honorum ad
 merita. Commutatiua eſt, qua parti-
 culares ciues mutuò in commutati-
 onibus & contractibus æquitate cu-
 ſtodiant. Et de his nihil amplius eſt
 dicendū, quia ad ſpiritus doctrinã nō
 pertinēt, niſi quòd eas oēs ſub cōmu-
 ni nomine iuſtitie cōprehēdimus. At
 partes iuſtitie, nēpē illæ virtutes, quę
 nos ad alterū ordinant, & quodāmo-
 do debitum reddūt, multæ ſunt: Nē-
 pē religio, pœnitētia, pietas, obſeruātia,
 obedientia, gratitudo, veritas, ſimpli-
 citas, amicitia, liberalitas. De quibus
 ſingulis agamus oportet. G 4 De

De Iustitia. §. I.

Aug. 19.
de ciuit.
Dei. c.
21.
Nicen.
c. 4. de
be. titu-
di-ribus.
Iustin.
de casto
conubia.
c. 13.

Iustitia, vt ex Augustino & Grego-
rio Nicæno colligitur, est virtus
voluntatis, tribuens vnicuique quod
suum est. Vel vt Laurentius Iustinia-
nus ait: Est, qua suum cuique tribuens,
alienum non vindicat, vtilitatem pro-
prium negligit, vt communem custodi-
at equitatem. Vel: iustitia est virtus,
qua cuique secundum debitum benefa-
cimus, neminem ledimus, congregati-
onis statum seruamus, & nos sine que-
rela apud Deum & homines custodimus.

Incitamenta ad iustitiam sunt: I.
Natura ipsa, quæ corpus rectum &
in coelum erectum homini dedit, vt
ex ipso corpore mentem in eo residē-
tem, iustitiæ & rectitudinis admone-
ret. Leges etiam iustitiæ in ipso hu-
mano corde conscripsit, iuxta illud
Pauli: Gentes, qua legem non habent,
naturaliter qua legis sunt, faciunt; e-
iusmodi legem non habentes, ipsi sibi
sunt lex, qui ostendunt opus legis scrip-
tum in cordibus suis; vt videlicet nul-
la posset esse excusatio iustitiæ ser-
uandæ,

Rom. 2.
14. 15.

uandæ, quam in mente gestamus, & sine vlllo labore, sine studio, aut industria, nobiscum natam eius notitiam habemus.

II. Iustitia voluntatem Dei implemus: Nam *indicabo tibi ô homo* Micheæ 6.
(inquit Micheas) quid sit bonum, 8.
& quid Dominus requirat à te;
& utique facere iudicium & iustitiam,
& diligere misericordiam, & sollicitū
ambulare cum Domino tuo. Hac immortalitatem acquiremus. Sap. 1. 15.
Iustitia enim, vt ait Sapiens, est perpetua & immortalis;
iniustitia verò mortis est acquisitio. Hac veram saturitatem comparamus. Mat. 5. 6.
Beati namque sunt, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Hac denique lætitia & exultatione complemur: iuxta illud Psalm.
Psalmi: Iusti epulentur, & exultent 67 4. 1
in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.

III. Dominus, cui placere cupimus, amator est iustitiæ. Nam *iustus Dominus, & iustitiam dilexit,* Psal. 10. 8.
equitatem vidit vultus eius. De eo etiam Psal.
scriptum est: Quia Dominus diligit 143. 2.
G 5 iustos

2. Tim. 4. 6. *iustos* Et Paulus: *In reliquo, ait, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Atque adeò, qui se à iustitia alienum facit, gemmam pretiosam, & à Deo maximè dilectam odio habet, qui nec à Domino diligetur, nec beatitudinis corona donabitur.

Actiones iustitiæ sunt: I. In superioribus & prælatis, zelare pro legibus, iusta præcipere, ad rectam gubernationem se applicare, delicta punire, bona gesta præmio saltem laudis cumulare, subditorum utilitates suis emolumentis præponere; omnibus communes esse, & in nullius personam affectu nimix dilectionis inclinari.

II. In subditis; Legibus & præceptis obedire; ad alios conciuves & cõfratres concordiam seruare, neminè prauis exemplis lædere; commune bonum proprijs commodis atque utilitatibus præferre.

III. In distributoribus: Proportionem bonorum ad necessitatè, & dignitatem personarum, in quas distribu-

stribuuntur, seruantur, verbi gratia, ciborum, & vestimentorum, & cellarum à dignitatibus indignos arce- re, inter dignos, præsertim in officijs Ecclesiarum & religionum, digniores eligere, & omnem inuersionem & ambitionem detestari.

IV. In his, quibus bona distribuuntur: Sibi necessarijs, contentos esse: nihil ultra necessitatem, præcipuè cum penuria aliorum, appetere: dum non vacantur, nec eliguntur se ad dignitates non ingerere: si vocantur, humiliter parere, & suæ electioni pertinaciter non obistere.

V. In omnibus: Nemini damnum afferre verbo, facto, vel signo, vel cõsilio in rebus, in corpore, in honore, nunquã de proximo malũ suspicari, nunquã de ipso detrahere, nec contumeliam aut aliam iniuriam inferre, nec bonum eius peruertere, vel diminuerè, aut à bono impediri.

VI. Item benè de proximo sentire, facta eius in melius interpretari, illũ honore debito afficere, apud alios excusare & defendere & quoad po-

tuerimus, cum in bono promouere.

VII. In imbecillibus & infirmis: Ad communia statuta seruanda seip-
 sos animare: cum non possunt à Præ-
 lato humiliter dispensationem pete-
 re, & si longè absit, & aperta sit ne-
 cessitas, per Epicheiam cum timore
 Domini legem ac statutum interpre-
 tari.

Postulatio Iustitię: Domine IESU
 Christus, qui non solum iustus, sed &
 iustitię & ipsamet iustitia in
 scriptura vocaris, & postremum a-
 ctum erga mortales in nouissimo die
 ex inexhausto thesauro virtutum tu-
 arum à virtute iustitię proferes, dum
 malis poenam suorum criminum, &
 iustis gloriam suis meritis paratã de-
 cernes: da nobis Domini iusti, iustos
 seruos esse, iustitiam in omnibus di-
 ligere, secundùm iustitię præscriptũ
 viuere, & nũquã ab eius vijs rectissi-
 mis declinare. Fac nos ò amator ho-
 minum ardentissime, incedentes in
 mandatis tuis sine querela, vt in ma-
 gno iudicij die, iuxta illud: *Stabunt*
 Sap 5. 1. *iusti in magna constantia, confidenter*
 miseri-

miserericordiam à te expectemus, & iuxta spem nostram effectum misericordiae tuae, scilicet tuam, quae nos satiet, visionem recipiamus. Amen.

De Religione. §. II.

Religio est virtus, qua Deo, tanquam omnium creatori & domino, debitum cultum & honorem exhibemus, idque ipsum nomē sonat. Siue enim dicatur à religendo, aut à frequēti electione eorum, quae spectāt ad cultum diuinum, vt Isidorus ait: siue, à reeligendo ipsum Deum, quem per peccatum abieceramus, vt ait Augustinus: siue à religando nos Deo, vt putat Lactantius Firmianus: siue à relegendo vel retractando, quae sunt honoris Dei, vt censet Tullius: Hæc omnia nihil aliud quàm diuinū cultum & venerationem significant.

Isidor.
10. ethym.
c. 17.

Aug. 10.
de ciuit.

c. 24.

Lactan.

4. diuin.
inst. c. 28.

Cicero li.

2 de nat.

Deorum.

Iob. 23.

13.

Incitamenta ad religionem sunt:

I. Quòd ex septē causis cōflatur, quibus maximè ad Dei cultum & venerationem astringimur. Prima est excellentia diuinæ maiestatis. Ipse enim solus, vt ait Iob, cui creatura omnes comparata non sunt. Quare hoc

G 7 nomen

- Exod. 3. 14.* nomen sibi vendicat, dicens: *Ego sum qui sum: sic dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos.* Ipse est solus bonus:
- Mat. 29.* Nam summa veritas dixit: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Ipse est solus potens, de quo Paulus: *Qui est beatus, & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* Quod si dignioribus & maioribus cultus debetur, honor debitus erit illi, qui solus habet excellentiam omnem & maiestatem: à quo quicquid boni & dignitatis habent uniuersæ creaturæ participant. Secunda causa est qualitas nostræ conditionis. Nos namque Dei sumus, secundum illud: *Omnes anime meæ sunt: sicut anima patris, ita anima filij meæ est: & omnia, quæ sub cælo sunt, meæ sunt.* Quid autem æquius, quàm vt homo suum creatorem veneretur, & in eius cultu suam omnem vitam insumat? Tertia præstantia nostri finis, qui ipse
- Apoe. 2. 22.* Deus est. Vnde ait Ioannes: *Quia ipse est primus, & nouissimus, principium & finis.* Nos autem creati ad Deum
- colen-

colendum, amandum, & sanctis obsequijs quærendum, dum eum nō colimus, nostro fine frustramur. Quarta, Dei præceptum, qui nulli alteri nisi sibi ipsi latriæ cultum, & honorē exhiberi præcepit. Quis autem eius mandatum de re rā debita diligenter non seruet, ne tanti Domini & tā benefici indignationē meretur? Quinta, emptio: Nam *empti sumus à Deo pretio magno*, nempe sanguine Filij sui, qui dedit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis. Graue autem delictum erit, si seruus tanti emptus suo herō non seruiat, & cultum ad quem emptus est, emptori suo diligenter exhibeat. Sexta est, præmium, quod nobis Deum colentibus promissum est. Domini enim vox est: *Quicumq; glorificauerit me, glorificabo eū; qui autē cōtēnunt me, erūt ignobiles.* Et rursus: *Omnis, qui cōfitebitur me corā hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Septima deniq; baptismi susceptio. *Qui enim baptizati sumus, Christū induim⁹*, vt quēadmodū ille:

Exo. 20.

3.

1 Corin.

6. 20.

1. Reg. 2.

30.

Mat. 10.

32.

Gal. 3. 27.

ille totam vitam in Dei cultū & obsequium impendit: ita & nos illi iūcti & incorporati, cultum Dei & honorem nostra vita & conuersatione quæramus.

II. Religio virtus est omniū virtutum moralium præstātissima; quoniam post virtutes Theologicas proximè Deo accedit, à quo virtutes perfectionem habent, & in eius cultu & adoratione versatur. Estque hæc virtus sanctitas vera, prout sanctitas aliquam specialem virtutem significat, quoniam religionis actibus firmiter adhæremus Deo, & eius numini consecramur, & indies puriores & immaculatiores reddimur. Idque indicant verba Iacobi Apostoli: *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos, & viduas, in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Quo loco tum substantia, tum effectus religionis exprimitur. Substantia eius est cultus Dei, qui paulatim mentem Deo iungit, & à sæculo auocat, & peccatis ac sæculi curis
obstent-

obfistēdo (quod ad se attinet) imma- *D. Tho.*
 culatam reddit. Effectus autem reli- *2.2. q. 80.*
 gionis sunt quæcunque charitatis *ar. 1. ad 1.*
 opera, quibus homo, dum à cultu Dei
 vacat, occupatur, ne sæcularibus ne-
 gotijs inquinetur.

III. Functiones religionis sunt
 præstantiſsimæ, & ſummoperè expe-
 tendæ: Si enim in temporali repub-
 lica adhærere regi, & eius aspectu, &
 alloquio frui, & cum eo familiariter
 conuerſari, omnibus alijs officijs &
 muneribus iure præferatur, quidni
 in Ecclesia, quæ est regnum Dei, ipſi
 Deo adhærere, eum colere, & hono-
 rare, & quaſi eius aspectu frui; om-
 nibus externis munerib. præferatur?

Actiões Religionis ſunt: I. Honor
 Dei, qui conſiſtit in hoc, quòd talem
 de illo concipiamus æſtimationem,
 tam altè & excellenter de illo senti-
 amus, & tam profundè nos illi ſub-
 mittamus, quã decet creaturã de ſuo
 creatore ſentire; & quàm debitum
 eſt viliffimũ vermiculũ infinitæ ma-
 ieſtati ſubmitti. & hæc eſt præcipua
 religionis actiõ, à qua reliquæ debēt
 prodire,

prodire, & ad quam excitandam & augendam debent ordinari.

I I. Deuotio, id est promptitudo mentis in omnibus his, quæ ad diuinum obsequium, & cultum pertinet, quæ solet ex meditatione diuinorū præcipuè attributorum generari, & lætitiã spiritualement afficere.

III. Oratio, id est, petitio decetium à Deo, siue eleuatio mentis in Deum, qua etiam religiosè Sanctos inuocamus, & oramus, vt eorum precibus & meritis apud Dominum adiuuemur.

IV. Adoratio, qua coram Deo tum mente, tum corpore prosternimur tanquam corã maiestate suprema, à qua omne bonum habemus. Item qua Beatam Virginem, & Angelos, & Beatos adoramus, quatenus in illis maiestas diuina resplendet. Illa prima vocatur latria, qua profitemur Deum omnium auctorem, soli Deo impendenda. Hæc dulia, quæ sanctos respicit, vt aliquid diuinæ excellentiæ participant.

V. Sacrificium, quo Deo, tum cor-
pus

pus & sanguinem Filij sui, in sacramento Eucharistiæ existentis, tum mentem, & vires omnes nostras, & corpus, & membra singula, tanquam creatori nostro, & principio nostræ beatificationis, offerimus.

VI. Administratio, & susceptio sacramentorum, quibus Deum esse gratiæ auctorem, & nostrarum mentium sanctificatorem profiteamur.

VII Exhibitio oblationû, primitiarum, & decimarum, quibus ministros altaris sustentamus, & nos eorum ministerijs indigere testamur, & Deum in illis, tanquam in ministris suis; honore prosequimur.

VIII. Votum, quo Deo in statu religioso, à sede Apostolica approbato, paupertatem, castitatem, & obedientiam promittimus, vel alia onera bona supererogationis vouem⁹, & cõuenienti tempore reddimus.

IX. Iuramentum, quo instante necessitate (quæ non frequenter occurrit) cum magna reuerentia Deum, tanquam infallibilem veritatem, in testem alicuius veritatis adducimus.

X. Ad-

X. Adiuratio siue obsecratio, qua Deum per suam infinitam bonitatē & per perfectiones suas, & per merita Filij sui, nec non per Beatæ Virginis & Sanctorum merita, & preces, obsecramus, & vt nobis aliquod bonum, ad suam gloriam ordinatum, concedat, instanter petimus.

XI. Laus Dei, qua eum pro sua infinita perfectione, & pro mirabilibus operibus suis, hymnis, Psalmis, canticisque spiritualibus, ore laudamus & cantu, ac musicis instrumentis tãquam summo regi, vt nos ad reuerentiam & feruorem excitemus, cultum & venerationem offerimus.

XII. Gratiitudo, qua Domino pro acceptis beneficijs, & pro aduersis & prosperis gratias agimus, & pro beneficijs, quæ proximis nostris impendit, affectum gratiarum actionis exhibemus.

XIII. Actus demum reliquarum virtutum, tum Theologicarum, tum Moralium, quos potest religio in diuinum honorem referre, & ad dandum ei cultum assumere.

Postula-

Postulatio Religionis. Domine Iesu Christe, Deus creator & sanctificator noster, à cuius larga misericordia quicquid est supra nihil, accepimus, & donis, tum naturalibus, tum supernaturalibus ditamur; miserere humilitatis nostræ, & ne despicias nos, immò potiùs misericorditer adiuua, vt te in omnibus adorare, honorare, & laudare cupiamus. Da nobis Domine hanc præstantissimã virtutem, qua cultum, qualem, qualem ex creaturis tuis suscipis, vt qui nullo indiges, nostram indigentiam profiteri facias, & dum eam cultui, tibi Deo nostro, & principio omnis boni nostri, impenso, testamur, amplioribus quotidie donis cumulemur. Amen.

De Pœnitentia. §. III.

Pœnitentia est virtus, qua peccata nostra, vt sunt Dei offensa, detestamur, & ad eorum expiationem & satisfactionem venire contendimus. Vel, vt ait Bernardus: Pœnitentia est sine temporis intermissione de peccatis

Bern. in
med. c. 4.

peccatis dolere: sic plangere commissa,
vt non committantur plangenda.

Cypr. l. 4.
epist. 2. Incitamenta ad poenitentiam sunt:

Sapient.
1. 13.

I. Si peccato mortui sumus, hoc vno remedio scilicet poenitentia ad vitam reuocamur. Vnde Cyprianus ait: *Cum scriptum sit: Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione viuorum, utique qui neminem vult perire, cupit peccatores poenitentiam agere, & per poenitentiam denuo ad vitam redire.*

Quod si imminentis mortis corporalis periculo, tanta sollicitudine remedia ad vitandam mortem paramus, spirituali animæ morte in interioribus nostris grassante, quanta diligentia æquum est in remedium, nēpe in poenitentiam, incumbamus, vt huiusmodi mortem propulsemus?

Luc. 13.

Certè Dominus dixit: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Qua sententia docet, neminem, qui grauiter deliquit, sine poenitentia posse à spirituali animæ morte resurgere, nec æternam mortem euitare.

II Grauitas peccati in Deū, summum bonum, admissi, & peccatoris

1020-

inaudita procacitas, qui audet tantā offendere maiestatem, & in tantī domini indignationem incurrere. Huius autē mali post baptismū nullū aliud remediū nisi pœnitentia superest, qua & Deum iratū placamus, & nos à peccati macula eluimus, & ab æterna pœna liberamur. Quare Ambrosius ad virginem lapsam ait: Pœnitentia ergo non verbis agenda est, sed actu. *Ambrosius ad virginem lapsam c. 8.*

Hæc autem sic agitur: si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas propè ipsas positam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cū hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum post baptismum, quàm pœnitentiæ solatiū, quantumuis afflictionem, quantumuis laborem & indecorē subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans & mente retractans, proprii facti tu ipsa iudex esto crudelior.

III. Christi vita sanctissima nos ad poenitentiam accendit; nam ille ad nostrorum peccatorum deletionem, tam dura & acerba pertulit, vt nos illa maxima mala esse cognoscentes inconsolabiliter lugeamus. De hoc incitamento Bernardus hæc

*Ber. serm.
3. de Nat.
Domini,*

ait: Age poenitentiam. Hoc tibi predicat stabulum istud, hoc praesepe clamat, hoc lacryma & vagitus euangelizant. Plorat quippè Christus, & non sicut ceteri solent. In alijs sensus, in Christo praeualebat affectus: patiuntur illi, non agunt, nec ipsius adhuc vsus voluntatis habentes. Illi ex passione lugent; Christus ex compassione. Illi iugum graue, quod est super filios Adæ: Christus filiorum Adæ peccata deplorat, & certè pro quibus nunc lacrymas fundit, postea fundet & sanguinem. Fratres, lacryma Christi & pudorem pariunt, & dolorem. Hæc ille.

Actiones poenitentiae sunt: I. Peccatum graue detestari, & leue abominari, illud, vt morrem animæ, istud vt morbum animæ, & vtrumq; quia in suo genere est offensa Dei, & displicet

plicet Deo, peccatum scilicet lethale, vt Dei maiestatem planè inhonorans, & in homine gratiam & charitatem destruens. Veniale verò, vt diuinæ legi non consonum, & ad gratiæ & charitatis destructionem disponens.

II. De peccatis magnis ac paruis dolore, non quidem quoniam eorum admissione pœnam aut infamiam incurrimus, sed quia summam maiestatem offendimus.

III. Nostram negligentiam detestari & de flere, qua multa bona, quæ facere potueramus, omisimus, & abundantem Dei gratiam nobis oblatam & frequentes eius inspirationes negleximus.

IV. Propositum firmum & stabile, nunquam grauitè peccandi conciperè, immò & voluntatem nunquam scientes & volentes venialiter peccandi procurare. Adeò vt cū diuina gratia priùs eligamus, omnes ægrotudines corporis, & omnem infamiam, & contumeliam sustinere, & vniuersas martyrum passiones, & ipsam mortem

H tem

tem pati, & poenis purgatorij, ac inferni nos subijcere, quam ex proposito in aliquod peccatum consentire.

V. Peccata sacerdoti confiteri, mortalia quidē omnia ex præcepto divino, quoad species suas, & numerū, & circumstantias, mutantem specie: venialia verò ex consilio, quatenus nostram cognitionem non effugiunt.

VI. Hanc peccatorum confessionem debito modo facere. Nam confessio debet esse integra, ut crimina omnia pandamus: pura, ut nō coacti, non timore servili perculsi, sed libenter & propter Deū aperiāmus: discreta, ut nō solūm externa peccata, sed etiā omissiones, internas cogitationes, prava desideria, morosas affectiones, distortas intētionēs, iudicia temeraria, vanas suspitiones, mala exēpla, & scandala aliorum dicamus: fidelis, ut omnia hæc taliter sacerdoti patefacere gestiamus, qualiter gravia & multiplicia sunt in conspectu Dei.

VII. Pro peccatis satisfacere orationibus, ieiunijs, eleemosynis, & alijs corporis afflictionibus, & sensuū

ac appetituum mortificatione, & tristitia, ac interna compunctione.

VIII. Pœnam pro peccatis assumptâ culpæ commensurare, vt secundum grauitatem culpæ sit grauitas pœnæ, secundum delectationem culpæ sit amaritudo pœnæ; secundum diuturnitatem & multiplicitatē culpæ, sit diuturnitas & multiplicitas pœnæ, iuxta illud: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Luc. 3. 8.

IX. Pœnâ etiâ, tanquâ peccati medicinâ, aptâ cui libet peccato, si possumus exercere; ita vt pro superbia satisfaciatur humilitas; pro auaritia largitas, pro inuidia charitas, pro impudicitia corporalis asperitas; & sic de reliquis.

X. Actio est, vt qui illicita cõmissim⁹, sepe à licitis & cõcessis abstinemus, & nos indignos remissionib. innocentiũ putemus. Hæc ferè omnia Albert⁹.

Alber. in

Postulatio Pœnitentiæ: Domine Iesu Christe, legislator maxime, qui legem Euangelicam illis verbis prædicare cœpisti: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorũ:*

paradis a-

nime c. 39.

40. 41.

Matt. 4.

17.

excita nos ab imo peccatorũ nostrorum voce virtutis tuæ, & animas

H 2

nostras

nostras sedentes in tenebris, & hæretes in vmbra mortis, tuę misericordię luce perfunde, vt malitiam peccati, acerbitatem poenę cõmeritæ, pretiofitatem gratię, & multiplicis virtutis 2missæ, & magnitudinem tuę maiestatis offensæ recogitemus, ac criminũ delictorumq; nostrorum exorbitantiã detestantes, de illis, super omnia mala quæ euenire nobis possent, & sine vlla intermissione doleamus. Misce, ô Domine miserator, & misericors, doloris amaritudinẽ dulcedine spei, de tua benignitate conceptæ, vt nec dolor immoderatẽ nos deprimat, nec spes præsumptuosẽ nos erigat, sed inter desperationem & præsumptionem incedentes, ad tuã nunc gratiam, & post hanc vitam ad tuam gloriam venire concedas. Amen.

De Pietate. §. IV.

Tullius 2. **P**ietas, vt ex Tull. colligitur, est virtus qua patria, parentibus, fratribus & alijs sanguine coniunctis cultum & officium tribuimus. Nomine cultus honorem, & reuerentiam, nomine verò officij, obsequiũ, subuentionẽ, & defen-

ensionem intelligimus. Quæ virtus non in parentibus carnalibus se continet: sed ad spirituales parentes, qui nos in Christo genuerunt, se extendit: immò erga illos pulchrius elucet. Qui etiã ex pietate filijs suis spiritualibus consulūt, & eorū profectū prouehūt, & bonā existimationē tuētur.

Incitamenta ad Pietatem sunt: I.

Præcepti de pietate erga parentes obseruatio, magno præmio, non solum in alia vita, sed & in ista cumulata est.

Hoc namq; præceptum in Exodo sic profertur: *Honora patrem tuū, & matrem tuam, vt sis longæuus super terrā,*

Exod. 20.

2.

quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et

Deut. 15.

in Deuteronomio: *Honora patrem tuū*

16.

& matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus vt longo viuas tempore, & benè tibi sit in terra. Quod sicut

in filijs pietate florentibus vidimus esse completum: ita & nouimus filios impios erga parentes magnis calamitatibus fuisse mulctatos, & subita aut inœlici morte fuisse præreptos.

II. A bestijs, & pecudibus, rationis expertibus, ad pietatis officia moue-

H 3.

mur.

Chryſtō.
de Abſalō.
Tom. 1.

mur. Hæc enim erga parêtes ac filios suos aliquam habent pietatis imaginem. Ad. ò vt quibus natura denegauit rationē, inquit Chryſt. non denegauerit pietatem. Est autē prorsus à dignitate nostræ cōditionis alienū, si bestias agri nostris morib. non superemus, & ab illis pietatis officio vincamur.

III. Christus Dominus in Crucem actus, & à sanctissima parête sua pietatis beneficio indigens, illustrissimum nobis pietatis dedit exemplum. Ille enim, qui & matrem habebat, & filium, nempe totum genus humanū, Ecclesia à se fundata contentus, discessurus ab illis secundum præsentia visibilem, & corporalem, & iturus ad Patrem, quasi sui oblitus, & matris ac filij memor, vtrique solatium & officium ex singulari pietate reliquit. Nam dixit matri: *Mulier ecce filius tuus; & discipulo astanti. ecce mater tua.* Priora verba sic exponit Laurentius Iustinianus: *Discipulum verò, quem diligo, præ cæteris tibi commendo in filium, vt quemadmodū comes, ita & integerrima virginitatis tuæ sit custos. Obtemperabit tibi vt filius, & tu de illo*

Ioã 19. 26
Iustin. de
triūphali
Christi a-
gone c. 18.

sicut de me qualicumq; frueris solatio.
 Dormiuit cum patribus suis Ioseph spō-
 sus tuus nutritius mihi: Ascendā & eod
 ad Patrem, hostibus triumphatis. Quā-
 obrem discipulus amborū in te supple-
 bit vices. Posteriora verò sic: Praclarum
 etiam scito in hac commendatione dis-
 cipuli latere mysteriū. Ipse namq; ty-
 pum gerit Ecclesiae, quæ est immaculata
 & virgo. Hinc in persona discipuli tibi
 relinquo. Tu illam, tanquam me dilige,
 exhortationib. roborā, confirma consilijs
 exēplis erudi. Posset equidē in hoc sæculi
 naufragoso discrimine absq; gubernato-
 re perire. Multæ aduersus illā procellosæ
 tēpestates, persecutiones acerrimæ, hæ-
 reses diuersæ cōcitanda sūt. In fide ad-
 huc debilis est, minus fundata virtutib.
 & insueta pugna facillimè succūbet, aut
 hostib. terga vertet, si duce priuatā sese
 senserit. Ex meo ignominioso, aut repē-
 tino exitu scio quod turbanda est. Tuis
 informationib. erigetur, tua protectione
 solidabitur, atq; ex presētia tua deper-
 ditas, si quæ fuerint, recuperabit vires.
 Volo igitur vt illā de cætero in filiā ha-
 beas, illā tuis orationibus protegas, atq;

virtutibus auctā ad me perducas. Quis iam non videat, quanta sit virtus pietatis, cuius actionem saluator mundi ē cruce pendens tam præclara actione commendavit, & tanta aviditate complevit.

Actiōnes Pietatis sūt: I. Parētes nostros, parētes agnoscere, in debita estimatione habere & eorū fortē, etiā si abiecta fuerit & vilis, nō erubescere. II. Parentes nostros verbis & externis venerationis signis honorare, & ab omni eo, quod iustē eos contristare possit, abstinere.

III. Si iudigeant, subsidia illis temporalia præstare, eos à quocumq; periculo imminente defendere, & in occurrentibus necessitatib; subuenire.

IV. A parētibus allata incommoda, illata conuitia, & admissa vitia senectutis patienter tolerare, & quæ illis possunt verecundiam ingerere, sicut fecerunt *duo filij Noe*, qui *patrem minus honestē dormientem operuerunt*, prudenter obtegere. Has omnes pietatis actiones docuit Eccles. his verbis: *Fili suscipe senectam patris tui,* &

Gen. 9.

Eccles. 3. 14.

non contristes eū in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in vita tua. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione.

V. Hæc omnia officia suo modo filijs, fratribus, & alijs consanguineis data occasione præstare.

VI. Patriam, quæ nos genuit, & aluit, pro nostra facultate tueri, in omnibus (prout datum nobis fuerit) nobilitare, & ad viam virtutis adducere.

VII. Patriam, parètes, fratres, & cōsanguineos, si aduersus Dei legem nos impellant, aut à via perfectionis retrahant, pro nihilo habere & quos aduersarios in via Dei patimur, vt inquit Grego. *omniò nescire. Hoc enim pietatis summum opus, quo, pro strictiori pietate in Deum, minorem in sanguine iunctos deserimus, mandauit Dominus illis verbis: Si quis venit ad me, & non odit patrē suum, & matrē suā, &c. non potest meus esse discipulus.*

Postulatio Pietatis: Domine Iesu Christe, qui inter alia tuæ perfectionis elogia, pius ab Apostolo & Evangelista nominari voluisti, cū scripsit:

H 5

Quis

Greg. hom.
17. in Euā.

Luc. 14.
26.

Apo. 15. 9. *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuū, quia solus pius es da nobis viscera pietatis vt patres & consanguineos nostros, quos dū iusta præcipiunt, proximos nouimus, diligamus; & quos dum iniusta volunt, aduersarios experimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Amen.*

De Obseruantia. §. V.

Aug. li. 33. q. 9. 31. **O***bseruantia, vt ex Aug. colligitur, est virtus, qua maiores etate, aut dignitate, aut sapientia, aut excellenti virtute, debito honore dignamur, aut officijs indulgemus. Maiores etate sunt senes; dignitate Principes & Prælati; sapientia doctiores & bonarum literarū studijs feliciores: virtute, qui inter alios puritate, & vitæ sanctimonia, & sanctis pro Dei gloria, & animarum salute sustentatis laboribus, amplius elucet.*

Incitamenta ad obseruantiam sunt; I.

Leuit. 19. Virtus hæc, Spiritus S. voce præcepta est: Coram cano capite cōsurge, inquit, 32. Ram. 13. 1. & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. Et: Omnis anima potestatis sublimiorib. subdita sit, non enim

enim est potestas nisi à Deo. Et: Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. Qui autem his vocibus resistit, manifestum est quia Dei ordinationi resistit.

II. Omnis reipublicæ, & omnis cōgregationis benè gubernatæ, hæc sūma cura est, vt inæqualitas sit honorum & locorum, & vt maioribus ac senioribus à coetu iuniorum deferatur. Quis autem sua inuerecundia & procacitate audeat tot sapientissimorum hominum, qui respublicas & congregationes fundarunt, & gubernarunt, iudicio & sensu contraire?

Certè quidem Bernardus hæc ait: *Da-
ta est hæc pueris & adolescentibus hu-
militatis & reuerentiæ forma, vt in me-
dio seniorum taceant, vt audiant, inter-
rogent, & discant.* Et Basilius: *Coram si-
natu maiore, quàm tu, caue ne assidere de abdic-
festines, quòd si vt id facias, iubeare, no-
lito tu in pari cum illo sella sedere, sed
cum huc, illucque diligenter oculis cir-
cūspexeris, operam sedulo da, vt sellam
tibi humiliores aliquā inuenias; vt ob istā
animi tui humile submissionem gloria
te afficiat Deus.* H 6 III. Qui

*Ber. serm.
in Domi-
nica infra
Ostauā E-
pipha. Ba-
rogent, &
discant. Et
Basilius: Coram
natu maiore,
quàm tu, caue
ne assidere de
abdic-
festines, quòd
si vt id facias,
iubeare, no-
lito tu in pari
cum illo sella
sedere, sed
cum huc, illuc-
que diligenter
oculis cir-
cūspexeris,
operam sedulo
da, vt sellam
tibi humiliores
aliquā inuenias;
vt ob istā
animi tui humile
submissionm
gloria
te afficiat Deus.*

III. Qui obseruantia obliuiscuntur, sunt homines stulti & superbi, quos Dominus in hac vita duplici modo castigat. Primò quidē, vt quia maioribus & senioribus non obtemperant, mille erroribus implicentur. Secundo verò, vt maiores ætate aut dignitate facti, à minoribus contemnuntur.

Actiones obseruantia sunt: I. Maiorum, & seniorum conuenientem interiùs existimationem habere, eosque animo ex interna reuerentia suspicere.

II. Venientibus illis assurgere, caput aperire aut inclinare, honoratiorem locum ad sedendum concedere, in deambulando dextrum illis locum dare, & nulla signa reuerentia consueta pro more patriæ aut congregationis præterire.

III. Coram illis tacere, aut si loquendum sit, non docendo, sed interrogando & discendo loqui: quòd si docendum coram illis sit, non illos vt discipulos, sed vt iudices eorum quæ docemus, respicere.

IV. Eorum dicta, sapientia plena, mode-

modestè celebrare, illorum sententia venerari, & nostris subtilitatibus anteferre.

V. Si ab illorum sententia in speculatiuis aut practicis dilectendum sit, ob manifestam in contrarium rationem, non nisi reuerenter, & quasi compulsi, & cum dolore dissentire.

VI. Eos, si deliquerint, nequaquã duriter increpare, sed iuxta consiliũ Pauli, vt patres obsecrare, & amicabiliter admonere. 1. Ti. 5. 1.

VII. Iuuenum procacissimorum, qui maiores subsannant, & de illis detrahunt, stultitiam comescere, & nequaquam eorum errorem sine debita increpatione præterire.

Postulatio obseruantia: Domine Iesu Christe, qui verbum Patris cum sis, homo tamen factus, matri Mariæ & nutritio Ioseph mirabiliter detulisti, & Sacerdotes illius antiquæ legis, & Doctores, ac scribas semper honore affecisti, & honorari mandasti: fac nos, quæsumus, imitatores tui, vt maioribus nostris semper non ex

adulatione, sed ex obseruãtia defera-
mus, eosq; p dignitate sua in te, & p-
pter te obseruantissimè veneremur.

De Obedientia. §. XI.

Bon. Tõ. 1.
in cẽtilo.
3. p. sect.
44.

Obedientia est virtus, qua exequi-
mur iussa, & præcepta maiorum,
quia præcepta sunt. Quam quadrupli-
citer Bonauentura describit: Obediẽ-
tia, inquit, est voluntas faciendi præce-
ptũ vel mādatum superiorũ: Vel, obtẽ-
peratio secundũ regulã sacre scriptu-
ra, maiorib. quibuscunq; debita. Vel,
est spontaneum, & rationabile proprie
voluntatis sacrificium. Vel est pio stu-
dio propria voluntatis abnegatio.

Incitamenta ad obedientiam sunt:

I. Omnes creaturæ nos obedientiam
docent, quæ sine vlla contradic-
tione, & cum summa perfectione crea-
tori obediunt. De quib. dicitur: Sta-
tuit ea in æternum, & in seculũ seculi,
præceptum posuit, & nõ præteribit. Et:

Pf. 148 6.

Quoniam venti & mare obediunt ei.
Vnde dicunt homini, ex innocentia

Iust in li. in peccatum lapso, vt contempla-
gno vitæ tur Laurentius Iustinianus: Si vis
de obe. c. 2 esse quod fuisti, disce famulari crea-
tori,

tori, uti facere conspicis nos.

II. Angeli nos ad obedientiam prouocant: Nam de illis inquit Paulus: *Oēs sunt administratorij spiritus, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Heb. 1. 14. Et Dauid: *Qui facis Angelos tuos, spiritus, & ministros tuos, ignem vrentem.* Ps. 103. 4. Quare si spiritus caelestes imitari gestimus, necesse est ut ministri seu nuntij Dei simus (hoc enim significat nomen Angelus) & obedientiae efficacitate ignis naturam praeferamus.

III. Christus Saluator noster ad obedientiam nos accendit: *Qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; quique obedientibus sibi in* Phil. 2. 8. *Prælati à se constituti aeternam salutem promittit: Nā cū esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae.* Heb. 5. 9.

Actiones Obedientiae sunt: I. Exequi quod iussum est à Prælati, si manifestè malū non sit, velociter, viriliter, humiliter, & indefinenter.

II. Aduersus affectus nostros, & cordis inclinationes obtemperare, sicut fecit.

fecit Abraham, dum decrevit filium suum (natura repugnante) Deo in holocaustum offerre.

III. Voluntatem nostram abnegare, & libenter ac hilariter iussa aggredi, ac liberum mentis arbitrium voluntati præcipientis subijcere.

IV. Iudicium ac sensum nostrum cohibere, & adhibitis rationibus, quæ præceptum superioris conveniens esse probent, nostram sententiam illius sententiæ submittere.

V. Si duriter, si stultè, si verbis contumeliosis, si absq; spe alicuius gratitudinis, ad res arduas ac difficiles faciendas mittamur, libenter parere.

VI. Non tantùm superiorum bonorum, sed etiam malorum, dummodò mala non iubeant, præcepta diligenter implere. Iuxta illud Petri: *Servi subditi estote in omni tempore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

VII. Sine vlla excusatione iussa facere, & nec verbo, nec scripto (licet

cet id prohibitum non fit) quicquam proponere; sed iuxta illud: *Audi Israel, & tace, quod iustū fuerit, ad executionem prouehere.*

VIII. Etiam si superior nihil habeat, eus se voluntati accommodare, & indicia suæ voluntatis exequi.

IX. Indifferentem se ad omnia præbere, & quantum est ex se, nihil de se ordinare, nihilque nisi quod superior voluerit, concupiscere.

X. Cum maiore auiditate in difficultium atque ignobilium munerum, quam in eorum, ad quæ natura prona est, & quæ apud homines splendent, occupationem incumbere.

Postulatio Obedientiæ: Domine Iesu Christe, cuius sanctissima vita perpetua obedientia fuit, qui ex obedientia natus, & ex obedientia passus, & mortuus fuisti, & omnem conuersationem tuam obedientiæ pulchritudine decorasti: Fac nos, quæsumus, veros obedientiæ amatores, & proprii iudicij ac voluntatis cōtemptores.

res.

res, vt obedientia eos saluet, & in cœ-
lum euehat, quos inobedientia dam-
nauit. Amen.

*Li 10. p.
3. per tot.*

De hac præstantissima virtute ex pro-
fesso dicemus inferiùs.

De Gracitudine. §. VII.

Gracitudo est virtus, qua beneficia,
à proximis accepta, cognoscimus,
laudamus, & data opportunitate, nec
negata possibilitate, remunerare decer-
nimus. Hæc comparata ad beneficia
Dei non distinguitur à religione; &
ideò inter actiones religionis retu-
limus gratias agere Deo pro donis
asceptis, & accipiendis ab eo. Et de
hac ad Deum gracitudine fusiùs po-
stea sumus acturi.

Incitamenta ad Gracitudinẽ sunt:
I. Ingracitudo est peccatum, etiam a-
pud homines abominabile, quo ho-
mines viles & abiecti notantur, &
ex illò, tanquam ex signo aperto vi-
litis, ab omnib. cognoscuntur. Ha-
bet quoq; pessimam originem, nem-
pè proprium amorem, animæ nimiti
dominantem. Vnde Apostolus cum
dixit.

dixisset: *Erunt homines seipsos aman-* 2. ad Ti.
tes, addit: ingrati scelesti. A Deo deni- 3. 2.
 que punitur grauissimè. Quod signi- Pro. 17. 13.
 ficat Salomon dicens: *Qui reddit ma-*
la pro bonis, non recedet malum de do-
mo eius.

II. Gratitude ad maiora beneficia
 recipienda animum parat, omnes e-
 nim volunt semina suorum bonorū
 bonæ terræ mandare, id est, homini
 grato committere Et Laurentius Iu-
 stinianus ait: *Nullum officium referē-* Iust. de li-
da gratia magis necessarium, quia ma- 8. 10. vitæ
iora meretur suscipere, qui collata bona orat. c.
de corde non probatur delere. Quare & 7 Chrys. b.
 propter priuatā vtilitatem, quæ (vt 72. ad po-
 Chryso. ait) in gratitudine ex maxi- pulum.
 ma, deberemus hanc virtutem secta-
 ri.

III. Gratitude ad homines, etiam
 apud Deum in pretio est: vult enim
 ipse, vt ei grati simus, & hominibus
 etiam, per quos nobis beneficia
 confert, animi gratitudinem ha-
 beamus. Vult quidem ille, vt homi-
 nes in dignitate constitutos, quorum
 ministerio nos gubernat, honore-
 mus,

mus, & honorem illis exhibitum aut negatum, sibi dari aut negari profite-
tur. dicens: *Qui vos audit, me audit, &
qui vos spernit, me spernit.* Et etiam iu-
bet vt eis quorum liberalitate nobis
beneficia confert, gratitudinis affe-
ctu repensemus. Quamobrem in Ec-
clesiastico recensens abominabilia
peccata foeneratoris, vnum eorū est,
Ecc. 29. 9. *quod pro honore & beneficio reddet cō-
tumeliam.*

Actiones gratitudinis sunt: I. Be-
neficium non negare, non dissimula-
re, nō obliuisci, sed illud agnoscere,
illud magnificare, & in memoria ha-
bere.

II. Beneficiū & benefactorem lau-
dare, & suspicere, & coram alijs,
quid in nos boni cōtulerit, cū op-
portunum fuerit existimatum, pu-
blicare.

III. Erga benefactorem affectum
amoris & æstimationis beneficij cō-
cipere, & eidem beneficiorum dato-
ri gratias agere.

IV. Beneficium honore & reuerē-
tia erga benefactorem, & non solum
æqua-

æqualibus, verùm & maioribus beneficijs, si potuerimus, repensare.

V. Sine vlla spe alterius beneficij recipiendi gratos, & beneficos in benefactores existere.

Postulatio gratitudinis: Domine Iesu Christe, qui quantum tibi ingratitude displiceret, illa querimonia de leprosis à te curatis, nec ad gratias referendas redeuntibus ostendisti: verba enim tua sunt: *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena:* da nobis, rogamus supplices, gratitudinis erga nostros benefactores affectû, quos ita in nos beneficos agnoscamus, & veneremur, vt præcipuè te omnium bonorum fontem ardentissimè diligamus. Amen.

Luc. 17.
18.

De Veritate. §. VIII.

Veritas siue veracitas, est virtus, qua verbis, aut signis, & quando & quomodo oportet, manifestamus res ad nos aut ad alios pertinentes, prout in se sunt. Nō sufficit ad virtutē veritatis,

VL

vt verum dicamus, sed necesse est, vt verum debitis circumstātijs vestitum dicamus. Nec enim omnia vera dicēda sunt, sed aliqua, quæ damnum afferre possunt, omninò reticenda; alia verò, quę nunc nō proderunt, conuenienti tempori reseruanda. Albertus

*Albert. in para ani-
mæ c. 18.* aliter definit, dicēs: *Veritas est quando verè concordant mens, & lingua, & opera, vt quod sentit quis in corde, hoc profert ore, & perficit opere.*

Incitamenta ad veritatem sunt: I. Tā chara Deo est veritas, vt Deus veritatis voluerit ab omnibus appellari. *Redemisti me Domine*, inquit Dauid, *Deus veritatis*. Et de Christo Ioānes: *Vidimus gloriā eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: plenū gratiæ & veritatis*. Et de Spiritu Sancto: *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Filius etiam Dei Christus Iesus in hoc natus est, & ad hoc venit in mundū, vt testimonium perhiberet veritati, quam qui non amauerit, non potest non toti Trinitati aduersari.*

II. Mendaces à conuictu humano repelluntur, & infames habētur, ne-

neque sunt qui illis fidem adhibeant, quos semel nouerunt fuisse méritos. E cōtrā verò veritas amabilis & honorabilis est, quæ in cōfessione quoque priorum delictorum apud iudices beneuolentiam nobis conciliat, & hominum veracium honore nobilitat.

III. *Nihil est, ut inquit Gregor. Gre. p. Pa. ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dū quis falsitatem suam tueri conatur, duro cor labore fatigatur. Hinc namque scriptum est: Labor labiorum suorum operiet eos. Qui enim nunc implet, tunc operiet, quia cuius nunc animum per blandam inquietudinem exierit, tunc per asperam retributionē premit. Hinc per Ieremiam dicitur: Docuerunt linguas suas loqui mendacium, ut iniquè agerent, laborauerunt. Ac si aperte diceretur: Qui amici veritatis esse potuerunt sine labore, ut peccēt laborant, cūque viuere simpliciter renuunt, laborib. exigunt, ut moriantur.*

Actiōnes Veritatis sunt: I. Mendaciū & simulationē ore fugere, & corde detestari.

II. Quan-

II. Quando, & quomodo, & ubi oportet, verum dicere.

III. Verum etiam si mens nostra doleat, & repugnet, si id necessarium & Deo placitum sit, non reticere.

IV. Nunquam verum obtegere aut palliare, nec pro favore alicuius, nec pro utilitate propria, nec pro aliquo detrimento vitando, si illud dicere teneamur.

V. Ambiguitates verborum & ambages in conuersatione vitare, & res prout sunt, simpliciter ore proferre.

VI. Myſteria cœleſtia aptis ad excipiendum patefacere; ab impuris vero & indignis abscondere, secundum illud: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

VII. Promissa seruare, nisi iusta causa non seruandi, aut in melius mutandi intercedat. Hac enim posita ad veritatem pertinet à promissis abstinere, iuxta illud Isidori: *In malis promissis rescinde fidem, & in tur-*

pi vo-

pi voto muta decretum.

Postulatio veritatis: Domine Iesu
Christe, qui veritas es; nam Ioannes
Apostolus tuus ait: *Spiritus est, qui te- 1 Io. 5. 6.*
stificatur, quoniam Christus est veritas.
cuiusque pulchritudo in omni veri-
tate creata, tanquam in imagine, lu-
cet: fac nos per misericordiam tuam
omnis mendacij hostes & veritatis
amatorem, ut eam debito tempore &
modo proferentes, in ipsa te, in-
creatam veritatem quæramus. A-
men.

De simplicitate. S. IX.

Simplicitas est virtus, qua quis hypo-
crisim, duplicitatem, & multiplici-
tatem vitat: seu qua exterius ealem se
verbis & factis exhibet, qualis internus
est, & qua ab omni astutia, & dolo, &
fraude, & non necessaria actionum mul-
titudine, alienus est. Bernardus sic de-
scribit simplicitatem: Est perfecte ad
Deum conversa voluntas unam petens à
Domino, hanc requirens, non ambiens mul-
tiplicari in seculo: vel est in conversa-
tione vera humilitas, sc. virtutis magis

*Ber. in ep.
ad frat.
de mon.
ei.*

conscientiam amplectens, quàm famā,
cū nō refugit vir simplex videri stultus
in saculo, cū sit sapiens in Deo.

Incitamenta ad simplicitatē sunt:

I. Ad vitæ simplicitatē inducit, quod
qui alij quàm sint, se esse simulant, &
cū sint mali aut imperfecti, boni
& perfecti per hypocrisim videri
volunt, in nouissimo die magnam su-
stinebunt erubescētiā, & apud om-
nes homines & Angelos, de stulta
simulatione, & detestabili superbia,
& hypocrisi, qua alios decipere cu-
rabant, arguentur. Ad quod optime

Bas. ad c. 1 inquit *Basilii*: Qui externa quadam
Isaie. simulatione, & per fucum gloriam au-
cupabantur ab hominibus, post occulto-
rum manifestationem, cum fuerint o-
mnia nuda & aperta, nec iā vlla in ob-
scuro delituerit creatura, præbebūt tūc
tales deformissimū spectaculū, euane-
scente, qua nunc circa eos versatur, fal-
laci impostura, ita vt per se meritō cō-
parentur quercui. Hæc ille. Dicuntur
autem similes quercui, quia hæc ar-
bor detractis folijs præ cæteris de-
formissima apparet.

II. Ad

II. Ad simplicitatem operum inducit, quòd duplex opere, qui scilicet vult bonis simul & malis operib. vacare, Deo est abominabilis. E contra verò simplex, id est, qui bona solū opera sectatur, adeò Deo charus est, vt illum non in quamcunque amicitiam, sed planè in intimam familiaritatē admittat. Quod perspicuè fatetur Salomon in Prouerbijs dicens:

*Quia abominatio Domini omnis illu-
sor, & cum simplicibus sermocinatio
eius. Quem locum interpretans Gre-
gorius, inquit: Cum simplicib sermo-
cinari dicitur, quia de supernis myste-
rijs, illorum mentes radio sue visitatio-
nis illuminat, quos nulla vmbra dupli-
citatatis obscurat.*

Pro. 3. 32.

Greg. 3.

Past. ad-

mon. 12.

III. Ad simplicitatem intentio-
num mouet, quòd Dominus vult ser-
uos suos paucis id est, necessarijs, oc-
cupari, & in illis vnum tantum, id
est, suam gloriam intendere. Quare
Martham erga multa occupatam re-
prehendit, dicens: *Martha, Martha, Luc. 10.
solicita es, & turbaris erga plurima, 41. 42.
porrò vnū est necessariū. Hoc vnū que-*

rendum est, quia est summum bonū, in quo continentur omnia bona æterna & immensa. Ad hoc autem bonum inueniendū, non est necessariū per multa, id est, per inutilia, vagari, sed tantū vtilib. seu necessarijs intendere.

Actiones simplicitatis sunt: I. Quales omnes sumus, tales nos verbis & factis exhibere, nec sanctitatem aut perfectionem, quam non habemus, effingere.

II. Spirituali magistro omnia interiora, tum bona, tum mala, sine vilo furo, vt dirigamur, aperire.

III. Si de rebus spiritualibus, quas nondum experti sumus, loquendum sit, syncerè, (ne supra quàm sumus, habeamur,) nostrum defectum, & nullam aut modicam experientiam fateri.

IV. Bonis tantū operibus vacare, nec mala illis admiscere: nullius facta pervertere, nullius bona deprauare, nullius dona diminuere, neminem lædere, & omnib. velle proficere.

V. De

V. De Domino ac de seruis eius in bonitate sentire, & sicut exteriùs bona omnibus cupere profiteamur ; ita bona illis interius desiderare & concupiscere.

VI. Operum inutilium multiplicitem vitare, & bona opera in vnâ simplicem placendi Deo intentionem colligere.

Postulatio simplicitatis: Domine Iesu Christe simplicium, & humilium amator, qui dixisti: *Sinite paruulos*, id est, simplices & puros more infantium, *venire ad me* ^{Matt 19.} ~~talium est enim ve-~~ ^{14.}

gnum cœlorum : fac nos per bonitatem tuam prudentia senes, & simplicitate & vitæ munditia paruulos, vt regnum tuum in cœlis positum, quod solos incoinquinos recipit libenter excipiat. Amen.

De Amicitia §. X.

Amicitia est mutua duorum beneuolentia, in virtute fundata, & bonorum communicationi cõiuncta. Vel, vt Bernardus ait : *Vera amicitia est,* ^{Ber. ser. 3.} *qua nihil ex rebus amici querit, nisi so-* ^{ad Soror.}

lam beneuolentiã, sc. vt gratis amet amantem se Amicitia pars est affabilitas, siue comitas, qua quis, vt Thomas D.Th. 2. 2 q. 114. ar. 1 ait, conuenienter se habet ad alios homines in communi conuersatione, tum in dictis, tum in factis. Est, inquã, virtus, qua homo decenter, comiter, & suauiter se habet cum illis, quibuscũ viuut & conuersatur. Itaq; amicitia virtuti subnixã, virtutẽ ponimus; amicitia verò in bonis temporalibus, ac naturalibus, ac in sanguinis coniunctione fundatam, tanquam rem indifferentem, à ratione virtutis reijcimus.

Incitamenta ad amicitiam sunt: I. Amicitia spiritualis, Christi & Apostolorum exemplo probata est. Ille enim dixit Apostolis suis: Vos autẽ Ioa. 15. 15. dixi amicos, quia omnia quacumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Rom. 16. Paulus etiam quosdam in epistola ad Romanos vocat dilectos, siue dilectissimos sibi. Item alios, ad quos scribit, Phil. 41. vocat charissimos. Et rursus: Itaq; fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudiũ meũ & corona mea. sic state in Do-

Domino charissimi. Quæ omnia magnam amicitiam sonant comitem charitatis & manant ex fonte virtutis. Alij quoque Apostoli, ut ex illorum gestis constat, socios habuerunt, quibuscum amicabilissimè conuersarunt. Non est ergo contrarium vitæ Apostolicæ & desiderio perfectionis, amicos fideles habere, quorum ope ad coelestia promouearis.

II. Amicitia est imago quædam patriæ cælestis, in qua Angeli mutuò se diligunt, & dulcissimè ac suauissimè conuersantur. Vnde Chrysostomus de cælo eam descendisse autumat: *Spiritualis amicitia*, inquit, *omnes reliquas excellit, tanquam regina, dominium suorum habens, splendido habitu conspicua: nihil enim hic terrenum est. vnde ista nascatur, quemadmodum in alijs: non enim ex consuetudine nascitur, non ex beneficentia, non ex natura, non ex tempore, sed è supernis descendit & ex ipso cælo.*

Chry. ho. i.
in epi ad
Coloss.

III. Amicitia spiritualis, utilissima est simul & suauissima: utilissima quidem; quoniam ab amico fidei

habemus in dubietate consilium, in afflictione refrigerium, in mœstitia solatium. Ipse nobis, in necessitate temporali positus, subuenit, & in spiritali indigentia ac molestia succurrit. Quare Ecclesiasticus: *Amicus*

Ecc 6 14.
15.16.

fidelis, protectio fortis; qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est cōparatio, & non est digna ponderatio auri & argēti cōtra bonitātē fidei illius. Amicus fidelis medicamētū vitæ & immortalitatis, & qui inueniēt Dominū, inueniēt illū. Est etiā hæc amicitia suauissima, quoniam maxime cognata naturæ hominis, qui est animal societātē amans, quē mutuus amor & beneuolētia delectat. Amicitia, inquit Ambrosius, est solatiū vitæ huius; vt habeas cui pectus aperias tuū, cū quo arcana participes, cui cōmittas secretum pectoris, vt colloques tibi fidelē virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.

Amb. l. 7.
offic. c. 16.

Actiones amicitiae sunt: I. Amicos perfectos eligere, ex quorum conuersatione spiritali profectum accipiamus:

MUS:

mus: vel studiosos, quibus in Domino prodesse possimus.

II. Amicos non propter aliquam commoditatē, nec propter voluptatem, etiam honestam, ex eorum suauit & discreta conuersatione proueniētem, amare, sed propter virtutes in eis elucētes diligere.

III. Cū amicis, quando & quomodo oportet, de rebus spiritualib. cōuersari, & ne alij offendantur, aut scandalizentur, debitā in couersando mensuram tenere.

IV. Amicis, si capaces sunt, arcana nostra communicare, & ab illis consilium, & directionem exquirere.

V. Amicorū defectus patienter ferre, nōnunquam dissimulare, & si spes emendationis affulgeat, blandē corrigere.

VI. Tempore aduersitatis amicos maximē complecti; tempore prosperitatis adgaudere illis & congratulari, & si excedant, bonis consilijs immoderatam eorum letitiam reprimere.

VII. Nihil ab amicis turpe, nihil iniustum, nihil minus honestum, minusue perfectum deprecari, sed sola honesta, sancta, & vtrique conuenientia efflagitare.

VIII. In omnibus, data nobis facultate, amicos iuuare, & ab eis libenter, cum obtulerint, in nostris necessitatibus adiutorium accipere.

IX. Idem velle idem nolle, & si aliquando iudicia dissenserint, nunquam voluntate disiungi.

X. In absentia se mutuò defendere, bonam adinuicem existimatione tueri, non tamen in hac defensione metas veritatis & regulas prudentiæ præterire.

XI. In communi conuersatione cum illis decorum seruare, & omnem leuitatem & scurrilitatem reijbere.

XII. Ita amicitiam temperare, vt sensim ad immoderantiã non veniat, & dum alios offendit, & nos in vanã amicorum memoriam distrahit, profectui mentis officiat.

Postulatio amicitiae: Domine Iesu
 Christe, qui nos vt ex inimicis ami-
 cos faceres, & æterno Patri tuo recõ-
 ciliares, è coelis ad terram descendi-
 sti, & non semel ad mutuum amorẽ
 & beneuolentiam adhortatus es; in-
 fere pectoribus nostris spirituales
 amicitiam; charitatis filiam, & iusti-
 tiæ comitem fidelissimam; vt qui no-
 stram tibi deuouimus, affabiliter &
 amicè inter nos conuiuentes, spi-
 ritu & virtute proficiamus. A-
 men.

De liberalitate. §. XI.

Liberalitas est virtus, qua homo im-
 moderatum amorem pecuniarum
 & aliorũ bonorum suorum moderatur,
 eaq; alacriter in propriã ac proximorũ
 vtilitatem, atque in his quæ honoris Dei
 sunt, alijs elargitur. Alio nomine hæc
 virtus dicitur largitas, quoniam
 non ad præcisam necessitatem &
 miseriam subleuandam, sed ad vtili-
 tatem ingerendam, res tempora-
 les largius, & affluentius infumun-
 tur.

Incitamenta ad liberalitatē sunt:
 I. Ipse Deus, cuius nos imagines sumus, & virtutes ac perfectiones imitari cupimus. Ipse enim est, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: *Quique*, vt inquit Albertus, *tā* *continuē dat omnibus sua dona temporalia & spiritualia, etiam non petētibus, & super omnia, carnē & sanguinē dilectissimi Filij sui.* Nec sufficit ei, dona sua dare simpliciter, nisi etiam seipsum immensū det in singulis donis. Commēdat largitatem suā, quòd nulli negat dona sua, quantumcunq; sibi aduersetur, immò pluries in nocte, & in die dona sua elargitur cui libet, quanquam à quoquam offendatur. Approbat in hoc largitatē suā, quòd quando cunq; inuenit opportunitatem aliquam in recipiente, statim ab effluxione spiritualiū donorum nequaquam se potest continere, licet ex sapientia diuina prænoscat, quòd recipiens illa dona, in proximo debet amittere, vel ea cōtinuò deturpare, vel ipsum per eadem impugnare.

*Albert in
 par ani-
 mae c. 17.*

II. Nos dispensatores bonorum sumus, non domini: bona, quæ distribuimus, non nostra sunt, sed aliena. Iustum est autem, si dispensator, largiter iuxta voluntatem Domini bona dispenset, & facilè, si bona aliena, de quorum dispensatione præmium accepturus est, non auarè, non strictè, sed affluèter in proximos eroget. Eoque, & diuitibus, *V&*, inquit Basilius, *quia cum præualeant subleuare inopiã pauperum, indultarum sibi opum potentia non sint vsi, ad quod acceperunt eas.*

*Basil. ad
c. 1. Isa.*

III. Diuitiæ & bona temporalia sunt talenta, nobis à Domino commendata, quæ ad salutem & laudem abundanter distribuimus, ad damnationem verò & vituperium auarè retinemus. De quo Gregorius sic ait: *Greg. hom. 9. in Euã.* *Nullus namque est, qui veraciter dicat: Talentum minimè accepi, non est vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuiuslibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam predicationis, ministerium debet*

ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, erogationē talenti debet ex rebus. Alius nec interiorū intelligentiam, nec rerū affluentiam accepit, sed tamē didicit artem, qua pascitur; ipsa ars ei in talenti acceptionē reputatur. Alius nihil horum assequutus est, sed tamen fortasse familiaritatis locū apud diuitem meruit, talentū profectō familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectū, curet omnino, ne taceat. Habens rerū affluentiam, vigilet, ne à misericordie largitate torpescat. Habēs artem, qua regitur, magno opere studeat, vt vsum atque vtilitatem illius cum proximo partiatur. Habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si cū valet, nō apud eū pro pauperibus intercedit. Talentū quippe ab vnoquoque nostrū venturus iudex exigit, quantum dedit.

Actiones liberalitatis sunt: I. Pecunias & alia bona temporalia, in propriam necessitatem, in proximorum vtilitatem, & in Dei honorem libenter infundere.

H. Quæ

II. Quæ nobis pro Christo pauperibus ad vsum concessa sunt, sine tædio alijs commodare, & libris ac alijs similibus fratrum utilitatibus inferuire.

III. Bona altiora, nempe doctrinã, consilium, & exemplum, dispertire, & talentis, quæ nobis concessa sunt, alijs prodesse.

IV. Aures audiendis confessionibus, os prædicandæ Euangelicæ doctrinæ, manus infirmiorum adiutorio, & reliquas vires proximorum utilitatibus applicare.

V. Inuitis, absentibus, & ignorantibus subsidia bonorum temporalium dare, vt fecit sanctus Nicolaus Episcopus, dotans filias nobilis & inopis: & adiumenta orationum elargiri.

VI. Temporis spatia bono proximorum offerre, & à nostris commodis vanisque occupationibus præripere.

VII. Diem illum in quo aut actione aut oratione non fuimus utiles proximis & Ecclesiæ Dei malè insumptum reputare, ac de nostra ignavia tristitiam accipere.

VIII. Nec

VIII. Nec ita temporalia dare, vt prodigè & insipienter infumantur: nec ita talentis spiritualibus prodesse, vt mentis nostræ virtutes ac profectus attenuentur.

Postulatio liberalitatis: Domine Iesu Christe, qui es potentissimus Rex, summè magnificus & liberalis indando, nam cum vno gemitu aut vna gutta sanguinis nos redimere potuisses, innumerabilibus tamè gemitibus & lacrymis nos redemisti, & infinitis meritis ac totius sanguinis tui effusione à peccato liberaisti: doce nos, quæsumus, in tuo obsequio largos esse, & erga fratres nostros liberales, vt in hac vita largitatis tuæ donis cumulemur, & in futura largâ eximiæ gloriæ benedictionem accipiamus. Amen.

De virtute Fortitudinis.

CAPVT VIII.

VIRTUS Fortitudinis appetitum irascibile moderatur, sicut prudent-